



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 5. 6. Materia consecrationis debet-ne determinari ab intentione ministrantis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**

& advertentiam de illius præsentia. v. g. Si Hostia sit super Altare propè Sacerdotem, est illi physicè præsens, sive Sacerdos advertat, sive non; quòd si advertat adesse Hostiam, tunc Hostia censetur esse præsens moraliter.

Hoc supposito, certum est, requiri ad validitatem Sacramenti, quòd Hostia sit præsens moraliter, id est quod nimis non distet à consecrante, & quod advertat esse præsentem advertentiâ actuali, aut virtuali. Ratio est quia demonstrativa pronomina, hoc, & hic, ostendunt necesse esse, ut res præsens cognoscatur ab illo, qui eam demonstrat; hoc autem dicitur esse moraliter præsens.

*Quæst. 3.* Requiritur-ne ad præsentiam moralem, quòd Sacerdos videat materiam consecrandam?

*Resp.* Hoc non est necesse, cùm materia possit censi moraliter præsens, licèt à Sacerdote minimè videatur; ut cùm vult consecrare centum particulas in Pixide, non potest omnes & singulas videre, quamvis sint moraliter præsentis; sicut etiam Sacerdos cæcus, qui teneat præ manibus Hostiam, aut coram se haberet, utique consecrare posset, licèt Hostiam non videret.

*Quæst. 4.* Possunt-ne consecrari particulae in vase operto seu clauso?

*Resp.* Possunt validè consecrari, cùm censeantur sufficienter præsentis; attamen, ut habetur in Rubricis Missalis: *Si adsit vas cum aliis Hostiis consecrandis, antequam accipiat Hostiam, discooperit manu dextera Calicem seu vas aliarum Hostiarum.*

*Quæst. 5.* Materia consecrationis debet-ne necessariò determinari ab intentione Ministrantis?

*Resp.* Juxta Rubricas Missalis, De Defecti-

*De Sacram. Euchar. Cap. III. 139*

bus in celebratione Missarum occurrentibus: si quis habeat coram se undecim Hostias, & intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit, in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. Secus, si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare quas coram se habebat. Nam tunc omnes erunt consecrata: atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere debet, scilicet consecrandi eas omnes quas ante se ad consecrandum positas habet.

*Quaest. 6.* Majoris lucis gratiâ, quid requiritur ad illam praesentiam quam necessariam diximus, in consecratione materiae?

*Resp.* Hoc non potest, nec debet mathematicè determinari, sed sat est, ut usu, more, & consuetudine hominum, atque prudentium judicio, materia in ea distantia sit, ut ejus fieri demonstratio rationabiliter possit. Unde absurdum est credere, posse Sacerdotem Hostias trans parietem collocatas, vel à tergo positas, quantumvis in speculo relucen-tes consecrare; quia secundum moralem aestimationem (cujus in administratione Sacramentorum humano modo peragendorum ratio magna habenda est) materia sic posita praesens in ordine ad exercendam, demonstrandamque aliam operationem, minimè censetur: Hostia tamen sub aliis in acervo latitans, vel subtus corporali, vel in Pixide clausa contenta, vel vinum in Calice cooperto existens, praesentia moraliter censetur; quia quae interjacent corpora, per modum continentis, vel velaminis se habentia subjectarum rerum praesentiam minimè impediunt.

*Quaest. 7.* Requiritur-ne ad materiam hujus Sacramenti determinata quantitas?

*Resp.* Materia hujus Sacramenti non est de-